

Q. N. 363, 4.

(X1904449) 26.

II t
366

REIPUBLICA S. M. LIBERA S. A.

Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM HISTORICAM

DE

MOLIS

EX. M. S.

PRÆSIDE

M. JO. PHILIPPO TREUNERO,

FACULTAT. PHILOSOPH. ADJUNCTO,

*eruditorum censura
submitte*

JOANNES TOBIAS Mühlberger

RATISBONENSIS.

AUCTOR.

ad diem XIX. Januarii Anni M DC XCV.

H. L. Q. C.

JENÆ, Typis VIDUÆ MULLERIANÆ.



52



ILLUSTRIS. AC. LIBERÆ. S. R. I. REIPUBLICÆ.

RATISBONENSIS.

DOMINIS.

CAMERARIO.

CONSULARIBUS.

ET.

SENATORIBUS. CÆTERIS.

PATRIÆ. PATRIBUS.

FELICIBUS.

VIRIS.

Illustribus. Magnificis. Perstrenuis. Nobilis-

simis. Consultissimis. Amplissimis. atque. Prudentissimis.

DOMINIS. PATRONIS. ET. MECÆNATIBUS. IMMORTALI.

PIETATIS. CULTU. SUSPICIENDIS. AC.

DEVENERANDIS.

has primitias laborum Academicorum humillima devotions

in

grati animi symbolum, ulterioremq; sui commendationem

offert

civis & cliens subjectissimus

Joannes. Tobias. Mühlberger. R.



I. N. I.

PROOEMIUM.



Cur autem de molis scripturus ades
 vili nempe & contempto argumento. Ar-
 gumento, inquam, in imperitum vul-
 gus, foeminas, ancillas rectius conve-
 niente, quam philosophum; utilitatis
 exiguae, jucunditatis perpaucae, momen-
 ti nullius: denique, ut ad pauca rede-
 am, protrito & plus satis jam excusso. Ita fortasse, Le-
 ctor optime, ais; inscriptionem dissertationis hujus contui-
 tus. At desine, quaeso, consilium meum mirari. Quid
 enim? si vilia ob ipsam vilitatem suam magnificien-
 da, humilia ipsa humilitate sua magna pronunciavero. Pa-
 radoxum equidem, quod ajo, videbitur; sed longè tamen est
 verissimum. Quae enim vilia sunt, parum excutiuntur; quae
 parum excutiuntur, excuti adhuc desiderant; quae excuti ad-
 huc desiderant, minimè sunt vilia. Ergo quae maximè sunt
 vilia, vilia sunt minimè. *Musca* contemptum est animal, non-
 ne? Mage contempta res ergo oculus ipsius erit. Atqui in-
 teger tamen de *musca oculo* tractatus prodiit. *Ephemera* exi-
 guae molis paucarumque horarum insectum est, & tamen va-
 stissimum *Swammerdamii* ingenium exercuit. Eruditionis
 A 2 excel.

excellentis argumentum in illustri Domino *Röslero*, primario
 Aulæ Saxo-Coburgensis ministro, *Thomasius* hoc habet, quod
 materiam sat visam sterilem doctè deduxerit. Tantum abest,
 sterilia doctos dedecere argumenta, ut parum doctum, me
 inquam, eis etiam imparem profitear. Rectè, οὐ πάνυ, *Mor-*
hofius alicubi iudicat, nihil in domo, culina, cella adeò con-
 zementum esse, quod non sapientis architecti, physici, mecha-
 nici alteras curas mereatur. Non objecto philosophus &
 de plebe homo differunt; sed modo illud expendendi. De-
 nique si indignum cathedra argumentum hoc esset, cur multi
 adeò iidemq; eruditi viri in ipso habitassent? Protritum
 enim satisque jam excussum dicebatur. Quanquam rectè ad-
 dubitem, an etiam verum, qui ita ajunt, prædicent. Vix e-
 nim pauci sunt, qui de molis egerunt, auctores, suo nominan-
 di loco. Quare & veniam Tuam, Lector benevole, paciscor,
 si non ubique Tuo desiderio satisfacero.

CAPUT I.

sistens

MOLARUM ONOMATO- LOGIAM.

§. I.

Quod circa alia, idem circa molæ vocabulum con-
 tingere videas; varias, inquam, ipsius afferri origi-
 nes. Hos à *malo*, pomorum genere; istos à *mol-*
liendo; alios à Græco *μύλη* derivare, Dom. *Mil-*
lorus in dissert. de *molendinis* sect. 2. §. 1. notavit. Addo,
 quod aliquibus *ἀπό τῆς μείων ὀλᾶς* seu minuere hordea, de-
 scendisse deputetur.

§. II. Omnes operam lusisse mihi videntur. Cui
 bono

bono enim etymologiae memoratae afferuntur ? Nulli profecto. Accedit, quod labor etymologicorum tandem eius ἀπαιεγν abeat. Etenim dubium est fundamentum omnium etymologiarum; ortus nempe unius linguae ab altera. Phryx ex *Herodoto* Phrygiam; Ebraeus ex communi sententia Ebraicam collaudaverit. Scythicam cum *Stiernbelmio Rudbekius*, & Belgicam *Job. Goropius Becanus*, Belga, omnis sermonis matrem facit. Latinus Teutonicam nostram Latinae; Latinam Teutonicae ὁ υῦν ἐν ἀγίοις, *PRASCHIUS*, magnum Teutonum Patria, mea decus, filiam pronunciat. Hic suum interponere iudicium, arduum; latum tueri, immensae eruditionis res est. Pendet enim res haec omnis ab alia non minus gravi quaestione, quaenam gens alteri originem dederit? Hic Graecum Graecam, Latinum Latinam, Teutonem Teutonicam, Scytham Scythicam extollere; rationis autem solidae nihil afferre videas. Atqui nisi ortum unius gentis ab altera defini- veris, quomodo ortum unius linguae ab altera defini- veris, quomodo ortum unius linguae ab altera non indicaveris, ecquomodo tempus in etymologiis confectandis & recensendis teres utili- ter? Taceo reliquas difficultates, quas ex *Platonis Cratylo* ad- disces, vel ex *Domini Praesidis* mei dissertatione ante hos quinque annos habita sub titulo: *pedagogia philosophiae ad Revelationem ex ignorantia ortus primi linguarum.*

§. III. Quod de etymologia dixi, idem ferme de homonymia tenendum est. Parum nempe utilitatis in ipsa inesse. Supra laudatus *Dom. Müllerus* l. c. §. 3. iam advertit accipi hoc vocabuli (1) de osse, cui dentes inhaerent. (2) de osse lato & rotundo genu superimposito. (3) de hordeo. (4) de dente molari. (5) de farre tosto (6) de latitia & rerum ἀνύσσεια. (7) de mole carnea informi in utero concepta, peculiari, sub praesidio *B. D. Faschii* hic loci habita, dissertatione descripta. Quibus homonymicis significatibus cum adhuc annecto, quo urbem quandam Italiae designat.

Vid. *Jod. Hondius* in *Descript. Italiae*. p. 17.

§. IV. *Synonymum mola* apud Ebraeos est. **מול** à rad. **מלל**, *odonatus est, olfecit*. Quod nomen in duali positum ajunt, ob partes duas maximè essentielles mola seu duos lapides, superiorem, quem vocant **ככר**, *currum* & inferiorem, qui **ככש**, *meta* sonat. *Græcis* mola dicitur **μύλη** **μύλος** & **μόλη**, item **μύλων**, **μολών** & **εμμόλων** à **μύλω** *permolo*. *Latini* loco mola interdum molendinum & moletrina ajunt, ubi tamen notandum discrimen inter molam & molendinum alias intercedens: nempe quod molendinum denotet integrum ædificium, in quo fabrica ipsius mola sita est.

§. V. Descriptionem mola prælaudatus auctor, dissertationis de molendinis & bannariis hanc affert: mola est machina vel opus quoddam ex duobus molaribus sibi invicem impositis & rotis quibusdam dentatis agitabilibus, iisque vel ligneis vel ferreis præcipuè constans, in quo ad humanæ operæ, jumentorum, venti vel aquæ incitationem sive circinationem, prorsus instabili machinarum vertigine, frumenta arida item polenta, seminaque superinjecta, vel lentè incidentia per mutuam molarium collisionem sive confriktionem in tenuissimam farinam massamve comminuuntur & conteruntur: quædam quoque res peculiari modo & instrumento pro varietate molarum expoliuntur, acuantur & dissectantur.

§. VI. Ego missam facio generalem ipsius definitionem. Ocularis enim machinarum inspectio plus valet, quam omnis, sollicita licet, earum descriptio. Præterea generalium molarum omnia unica definitione complecti fermè est impossibile. Adeò scilicet numero sunt multa. Id quod ex capite sequenti pluribus pate-

scet,

CAP.

CAPUT II.

exhibens

VARIA MOLARUM GENERA.

§. I.

HOc distant *ars & natura*, quod *haec* à perfectiori ad im-
perfectius pergere creditur ; *ista* autem ab imperfectio-
ri ad perfectius contendit. In gigantibus, si vera est fabula,
natura coepit ; in pygmaeos fortassis desinet. E contrario
ars à parvis auspiciis ad summa connititur. Adesto *scripto-
ria*. Informes primùm erant literæ. Unde quò in quaque lin-
gua ruditer magis pinguntur, eò ipsa, *Rudbekio* iudice, ha-
benda est antiquior. Nunc autem scribarum calami ad inc-
ptias usque luxuriant. Quid de *pictoria* dicam ? Antiquis-
simè ad felis imaginem adscribi sueverat : rogas : hoc quid
rei est ? felis est. Deinde autem pictores spectatorum oeu-
los in admirationem etiam rapuerunt. Inveniuntur artes, ut
necessitati occurratur : excoluntur, ut commoditati consula-
tur. Animadversio ipsarum indigentiaè tollendæ : cultura
abundantiaè servit.

§. II. In molis nostris profectò clarissimè hoc vi-
dere est. Primum enim pistrinis, hinc manuariis, post has
jumentariis, deinde aquariis ac tandem alatis humanum genus
usum fuisse, memoriaè proditum legimus. Id quod rectius in-
telligetur, ubi prius varias molarum species percensuero.

§. III. Equidem plurimas longè divisiones
admittunt : in præcipuis tamen habentur, quæ spectant I. *locum*,
II. *formam*. III. *finem*. IV. *proprietates*. Plerasq; aliquoties
jam laudatus *Dom. Müllerus* recensuit. Unde mihi hîc bre-
viori esse, & prætermissa tantum supplere licebit.

§. IV. Ratione *loci* dividuntur molæ in (r) *do-
mesti-*

mesticas Hausmühlen / quas, ut notum est, vel in modum
 manuarum, vel jumentarum vel etiam staticarum extru-
 unt. (2) *navales Schiffmühlen* / quæ in morem & modum
 navium funibus ad anchoras aut palos alligatæ aquis innatant,
 & ad nutum ferè unius hominis die nocteq; operantur. (3) *mi-*
litares Kriegsmühlen / in curru summa ingeniositate ex-

structas. Qualem si pingeres, adderem lemma:

ingeniosa necessitas.

Aurigante mola, desunt ubi ventus & unda,

languida sustentat castra farina tamen.

Sic, si forte homines torquet penuria rerum,

mens est inventis ingeniosa suis.

§. V. Ratione formæ sese offerunt (1) *pistrina*
Stampmühlen / à pinfendo sic dicta, quod pilis frumenta
 tunderentur & farina pararetur. In tali pistrino qui opus fa-
 ciebant, *asini* appellabantur, sicut *mola* præsepiorum nomine
 veniebāt. Unde in MSC. Codice Plautino primæ comœdiæ titulo
 concipiebatur: *Plauti asini Amphitryo*, referente *Meursio Crit.*
Exercit. p. 1. cap. 9. Quales verò hi pistini inhabitatores fu-
 erint *Apulejus Metam. l. 9.* explicat: *homunculi vibicibus totam*
cutem depicti, dorsumq; plagosum scissili centunculo magis in-
umbrati, quàm obrecti, nonnulli exiguo tegili tantummodo pu-
bem injecti, cuncti tamen sic tunicati, ut essent per pannulos
manifesti, frontes liberati, capillum semirasi & pedes annula-
ti. (2) *Manuarie Handmühlen* / quæ nomen inde suum
 habent, quod manuum agilitate & robore in gyrum circum-
 agantur. Appellantur etiam *trufatiles* & *versatiles*. Param
 ab eis distare videntur molæ incolarum *Ceylandiæ*, descriptæ à
Roberto Knox Itinerarii Ceylandiæ p. 22. cum ait: *incola Cey-*
landiæ Coracan suum (quod seminis genus est, sinapi magni-
tudine æquans) molituri, loco mole duobus rotundis lapidibus
utuntur, quos ope manubrii cujusdam circumagunt. (3) *Ju-*
menta-

mentarie Rosmühlen : quarum elegans descriptio habetur apud *Apulejum lib. 9. Metam.* ibi, ait, *compuriam jumentorum multivii circuitus intorquebant malas ambage varia, nec die tantum, verum perpeti nocte, prorsus instabili machinarum vertigine lucubrabant pervigilam farinam.* Harum usus maxime est hodiernum in arcibus, propugnaculis & obsidionibus, teste *Frossard. lib. 1. hist. cap. 207.* Jumentorum loco interdum etiam servi ad luendam poenam fuere adhibiti, ut *Terentius in Andr. Act. 1. sc. 2.* refert. (4)

Aquaria Wassermühlen / quarum rotæ vel decurrentis huminis impetu inferne circumvolvuntur, vel supernè violentia aquæ ex canalibus deductæ gyrantur. Teutones vocant *unter- und überschlichtige Mühlen* / quarum passim varia videmus genera. In S. R. J. ob fluminum & fluviorum abundantiam has præcipuè reperiri notum est. Sic imprimis *Erfurtenses & Suinfurtenses* topographi celebres ajunt. Nec patriæ charissimæ R A T I S B O N Æ molas reticendas puto. In earum sanè laudem non testem è domo, sed extraneum eumq; Belgam judicio eruditorum eruditissimum, nempe *Stephanum Vinandum Pighium*, Cardinali Granvelli quondam ab epistolis & bibliotheca, in medium producit per illustris & generosissimus, in omni linguarum & scientiarum genere versatissimus p. m. Dominus, Dom. *Wolff. Helmhard. L. B. de H O C H B E R G* Patronus & Mecænas quondam meus etiam post cineres devenerandus in *Georgicis curiosis seu vom Adelichen Landleben edit. 2. part. 1. lib. 1. cap. 2. f. m. 96. seqq.* dum hæc ex ejusdem Hercule Prodicio verba allegat. *Molæ (Ratisbonenses) sunt magnæ industrie & ingeniosæ inventionis officinæ: nullo manuum auxilio, sed lapsu aquarum & rotarum versatiliu labore continuo nocte dieq; operantes ad nutum unius hominis.* Claudie Vir laudatissimus hoc Pighii elogium voto, pro Ratisbonæ salute fuso : cui meas ut jungam preces æquum justumque est. Non ignoro plurimas adhuc superesse per S. R. I. aliaque regna molas rarissimæ ar-

tis inventa. Sic *Berolinensium* magnum nomen est. Eas au-
 tem cum ipse non viderim, consultò nunc prætereo. Obiter
 tamen memorare visum est, quod de *Taurinensibus Pedemon-
 tii Philander ad Vitruv. Lib. X. de Architect. cap. 10.* annotat:
*Augusta, inquit, Taurinorum subalpina urbs est. Ad eam vi-
 di decem & octo molendinorum (liceat mihi cum aliis ita appel-
 lare) versari pinnatas rotas Duria flumine passibus plus mi-
 nus triginta. Opus mea sententia, ut urbi multò utilissimum,
 ita maxima solertia constructum, erogata scilicet tot rotis angu-
 sto in alveo aqua. Illorum frumentaria duodecim, reliqua ory-
 zæ, visum vocant, exglumanda, conterendis aromatis, tormen-
 tario pulveri tundendo, acuendis gladiis armisque levigandis,
 sudendo ferro, abluendis densandisque rudibus pannis, com-
 parata erant. His succedunt (5) mola alata. **Wind-
 mühlen** / quæ & molendina ad ventum, molendina volatica,
 nec non ventilaria, Græcis πνευματινῆς audiunt. Elegans
 earum est definitio, quam *Fr. B. de Verulam. in hist. vent.* af-
 fert, cum ait, esse molas, in quibus venti ad molendum velut
 operarii sint conducti. Qua ratione extrui debeant *Jacobus
 de Strada* Ferdinandi I. Maximiliani II. & Rudolphi II. quon-
 dam antiquarius in opere suo *de molis* prolixè variisq; iconibus
 docet. Notabile est, quod *Bellonius in itinerar. lib. I. cap.
 69.* tradit, in *Turcia* harum molarum octo alas esse. Ad ipsas
 etiam referri posse arbitror, cujus meminit auctor celeberr-
 mus *der Monatl. Unterredungen. Ann. 1689. f. 65.* dum
 scribit: *reperias molas velis armatas, ubi in domo commotus
 aër rotas perpetuò circumagit agrorum pratorumque aquis co-
 opertorum exsiccationi, item frumentorum comminutioni ser-
 vientes.* Forlan illam speciem molarum indigitat vir claris-
 simus, quam *Joannes Neuboss. in Itinerar. Sinens. p. 133.* hisce
 describit: *ad urbem Kajutsiu quamplurimas videre est alatas
 molas, rara arte exstructas, velis scilicet armatas, quæis aque
 agris**

agris depelluntur. Quin & exsiccatos calore aestivo agros juvant; dum aquis dant irriguos; tantâ utilitate, ut bine per annum messi locus fiat. Ejusdem etiam meminit D. Grypbinder tract. de sing. cap. 20. n. 96. & cap. 28. n. 17. 20. 24. ubi narrat, Hollandos lacum Bimsterianum inter urbes Enchusam Hornamque situm ad duorum intercapedinem milliarium, dum aquam molendinis haustoriis rotaverint in mare, adeo siccum effecisse, ut ubi ante navibus, nunc curribus eatur. (6) mola pedestres **Trettmühlen**, quarum mentionem facit laudatus supra perillustris Dnus. L. B. de **HOCHBERG** cap. II. l. 1. part. I. Georg. curios. Sunt autem extructæ in planitie, ubi in perpendiculariter posita rota majori duæ personæ totum opus calcando dirigunt. Jumenta etiam calcando id peragere poterunt, modo horizontaliter rota posita sit. (7) mola statica seu ponderibus acta, **Gewichtmühlen**. Laudat has laudatissimus modo citatus Auctor l. c. Exstruuntur plerumque in turribus aut locis declivibus, modo & ratione ea, quam sume Marte quisque facile assequitur. (8) mola speciatim sic dictæ artificiose **Kunstmühlen**. Et hæc construuntur (1.) ut admirationi sint. Talem meminit Zeilerus in epistola D L V. p. 884. edit. in 4. ubi de Romano Imperatore Carolo V. glor. mem. agens ita inquit: cum Carolus V. ex Belgio redux cœnobium peteret, duodecim ministros & in his Janekium Turrianum, architectum celebrem, Cremona oriundum, sequi se jussit, qui in aliis elegantioribus inventis molendinum ferreum excogitavit, tanta subtilitatis opus, ut monachus ipsum brachii cooperimento tegere potuerit, quanquam per diem eam farina vim fuderit, quæ octo hominibus sufficeret. (2) ut pluribus finibus serviant. Talis est, quam describit Reverend. & Clarissimus Dnus. M. Ernestus, Archidiaconus Altenburgens. in Des **Bilderhauses** part. 2. fol. 712. n. 61. ubi hæc lego: In Uranoburgo Tybonis molam videre est, in qua rota haud parû v. ista paucissimis aquis agitata triplex officium facit. Servit enim (1) comminuen-

do frumento, (2) poliendis durioribus & asperioribus corpori-
 bus. (3) conficienda ex detritis pannis papyro. Huc quoque
 referre licebit singulare inventum molarum aquariarum Tolo-
 sanarum à Paulo Henznero JC. itinerar. Gallie p. 56. hisce descri-
 ptum: habentur, inquit, hic singularis artificii molendina, in
 quibus vi fluminis Garumne, rotæ nostris multo minores ca-
 psulis unicum tantum orificium habentibus inclusa per transver-
 sum circumvolvuntur velocissime. Ubi farina non ex loculis
 decidit, sed fœmine pastillorum impulsione contra arcam mola-
 toriam exigunt eam, ac postea cribratione sedula purgant.
 Confer. etiam Jodoc. Sincer. qui in itinerar. Gallie p. 262. hoc
 addit, quod rotæ non super aqua perpendiculariter, sed in eis
 horizontaliter moveantur, lapides itera molares nostris longè
 majores ex multis partibus constant tanta arte junctis, ut singu-
 li aliquot millibus coronatorum æstimentur. Et quid vetat,
 quò minùs huc referas molam à maximè reverendo & excel-
 lentissimo nostro Domino Jo. Andrea Schmidio, recens ad-
 inventam? Alias nempe duas rotas una molaris machina
 poscit. Ipse autem, qua antecellit inventricis facultatis
 promptitudine, ut una rotâ duæ machinæ circumgiran-
 tur solertissime efficit. Denique in artificiosis etiam
 recte numeratur mola, quam vocant, philosophica, auri
 potabilis præparationem hoc modo juvans: aurum
 foliatum in minimas particulas confissum mortario vitreo den-
 sissimo vel aureo inditur inque eo, charta tantum recto, noctes at-
 que dies continua mola agitatione tamdiu teritur, usque dum
 in pulverem fusco subnigrum convertatur, cui tritici utpluri-
 mum 14. dies insumendi sunt. Dein pulvis hic retortula non
 nimis profunda, sed planæ immisus igne arena per gradus eor-
 tandem fortissimo pellitur & sic stillat paucas quidem, sed ru-
 bicundissimas guttas, quæ vel per se vel cum spiritu vini tarta-
 risato digestæ verum exhibent aurum potabile, non fucatum vel
 illa

illa alia peregrina qualitate infectum, describente Joële Langelotto epist. ad præcellentissimos nature curiosos de quibusdam in Chymia prætermisissis p. 17. seqq. Res profecto valde mira adeò, ut aliquibus etiam in dubium sit vocata; juxta autem nimis sumptosa.

J. VI. III. ratione finis seu rerum contusarum molæ (ut paucis multa complectar, quia bonam partem jam tacta sunt ab aliis) dantur (1) frumentariae **Kornmühlen**. (2) Olearie **Öelmühlen**. (3) Serratorie **Stein-Brett-und Seegmühlen** / quarum adminiculo etiam lapides intractabiles ac trunci durissimi, gementibus sursum deorsum salientium ferrarum dentibus atque ad circumducti mediante rota dentata cylindri impulsu ad orientibus in tabulas vel maxime tenues comminuntur. (4) terebratorie **Bohrmühlen** / quibus operantibus trunci in usum canalium exterebrantur. (5) ferrarie, Teutones vocant **Schleiffmühlen** / à quibus parum distant **politorie Poliermühlen** / utrisque enim cultris, gladiis, securibus aliisque ex ferro instrumentis non acies tantum inducitur, sed & iisdem nitor conciliatur. Huc etiam referendæ molæ, quibus vitra *microscopiorum, perspicillorum, optidorum tuborum* aliaque poliuntur, nec non illæ quibus lapidibus pretiosis splendorem foenerantur. (6) falloniae seu pannariae **Waldmühlen** / in quibus panni noviter texti & rudes aqua calida conspersi contunduntur & sic meliori hominum usui præparantur. (7) aromatica **Gewürzmühlen** / quarum opera aromata ad meliorem usum in pulverem rediguntur. (8) molæ à *pulveris nitri* præparatione Germanis dictæ **Pulvermühlen**. (9) metallorum contusoria **Ergmühlen** oder **Buchwerck**. Huc etiam (10) referri possunt illæ molæ, quibus æra ignibus candentia mallei prægrandis & incudis majoris ope protenduntur & in laminas tenuissimas

B 3

ver

D

vertuntur, Germanis dicuntur *Kupfermühlen*. A quibus haec multum absunt (11) *mola plumbaria Bleymühlen* / quarum ope plumbū rarefit & in laminas tenuissimas convertitur. Et (12) illæ molæ huc spectant, quæ ferro in baculos cogendo nec non filis inde & ex orichalco ducendis inserviunt, Germanis *Eisenhammer und Drathmühlen*. Adde (13) *molæ monetarias die Münzmühlen* / quæ imprimis Salisburgi sunt notæ, & ex laminis aureis & argenteis Philippæos scutatosque signant, alteram malleo, alteram incude superficiem premente. His (14) annecto genus molæ à *confringendis lapidibus* salis Teutonibus dictæ *Salzsteinnühle* / in quibus lapides illi confringuntur & comminuuntur. Viget earum usus maximè Halæ Tirolis. Tandem (15) agmen claudant *papyraceæ seu chartariæ Papiermühlen*.

§. VII. Denique IV. ratione proprietatum molæ distribuuntur in *privilegiatas & non-privilegiatas*. De his ut peculiariter agatur haec opus est. Istis accensentur *Bannaria seu Bannerita Zwangmühlen* / de quibus ex instituto agit dissertatio sæpius citata Magnif. Domini Mülleri. Eodem etiam rectè referes molas vel potius molendina *Wormatiensis*, in quibus *Judei* statuto tempore circummagendo rotas vicem jumentis obeunt, ea fini, ut populo Christiano servitum se servire & à Dei facie rejectos esse rectius intelligant. Id quod ex narratione supra laudati Dni. Schmidii, testis *αὐτόπτερος*, compertum habeo.

CAPUT III.

agens DE INVENTIONE MOLARUM.

§. I.

De inventoribus & inventione rerum agere propemodum est opus

opus desperatum aggredi, & *ἡ ἀρετὴ τῶν ἐσκαμμένων ἐν ἀπείρῳ*. Sæpè enim quidpiam diversis in locis eodem tempore invenitur. Quod ubi fit, non potest non gratis quæri, cuinam inventionis gloria debeatur nationi, urbi, homini; huic an isti? Videre hoc est in *circumjovialibus*. Cum enim eodem fermè tempore in *Italia & Germania* detegerentur, utraque regio inventionis laudem sibi vendicabat, altera ipsas *sidera Medicea*, altera verò *Brandenburgica* dici postulans. Aliàs equidem uni genti quidpiam citius, alteri tardius innotescit; ita tamen, ut nec hæc ab ista, nec ista ab hac inventum acceperit. Et tum pariter frustra lites de primo inventore seruntur. Quod fortassis in quæstionem istam convenire quipiam dixerint, quæ quæritur, utrum *Belgium*, an *Germania typographicam* artem adinvenerit? Denique, (quod in *anatomie plantarum* contigisse creditur) aliis inventum, aliis inventi divulgatio debetur. Atqui tum rursus ægrè ostenderis, cuinam inventionem acceptam referri oporteat? ad hunc initiis inventionis; ad istum pleniori deductione originem suam referente.

§. II. Imprimis autem difficile est, ortum progressumque rerum earum indicare, quæ quotidiani sunt usus. Quis inventionem *ignis* docuerit? Quam enim *Vitruvius* opinionem recenset, ad fabulam profecto, quàm historiam propius accedit. Veram *rei navalis* originem nos latere, prolixè ostendit *Jo. Schefferus lib. I. de militia navali veterum*. In promptu etiam est ratio, cur horum talium minus, quam reliquorum, originem docere detur. Hoc ipso enim, quod quotidiani sunt usus, maximè sunt necessaria; dum maximè sunt necessaria, antiquissimè sunt inventa; dum antiquissimè sunt inventa, ortum ipsorum referri fermè est impossibile.

§. III. Atque hæc non nulla de causa prolixius paulo edissero. Primum nempe, ut ostendam, quam peccent ii, qui de antiquissimè inventis vel sollicitè vel confidenter nimis scriptitant. Deinde ut meam circa inventorem

molarum dubitationem doctis excusam. Cum enim molarum quotidiani res usus sit, quæ de ipsius inventione dici possunt, paucissima inquam, recensebo, primo loco *gentilium*, deinde *virum θεοπνεύτων* sententiam tacturus. Ita enim juxta patebit, quid dissentiat æra lupinis, hoc est, sacrae historiae profanorum hominum fabulis.

§. IV. Horum ergo alii ad *Deos*, alii ad *Deas* inventionem molarum referunt. *Alexander Sardenfis lib. II. de rerum invent. p. 52.* tradit, quod molendina cum modo molendi *Mylantii Dii* apud *Rhodos* invenerint. *Plinius lib. VII. cap. 50.* primum *Cererem* homines molere docuisse, atque panis usum invenisse refert. *Henricus Pantaleon* in tract. *de Viris Illustr. part. I. pag. 38.* primas artis molendi parandique panem natalitias adscribit *Isidi* cuidam *Osiridis uxori*, *Lybicæ Herculis matri*, quam anno mundi 3345. (in quo dissentit *Ado Viennensis*, dum eam anno mundi 3797. maxime innotuisse ait) temporibus *Esavi* & *Jacobi* vixisse & has artes docuisse *Pyrrhenius Gassarus* in *Chronologia* scribit. Sic & *Ioannes Marius Belgicus lib. II. Illustrat. Gallic. & Trojan.* memoriam proditum ait: *Isidem* Deam, reginam *Ægypti*, in *Germaniam* venisse & rudem populum artem molendi, pinfendi, panesque coquendi docuisse. *Plutarcho* eadem est opinio in libro peculiari de *Iside* & *Osiride*. Ast qui sunt isti *Mylantii Dii*? Quæ ista *Isis*? De his profecto si differerem, non operæ modo pretium haud fieret, sed omnis quoque disquisitio in *Scepticorum* ἐπέχειν finiretur.

§. V. Mitto igitur *Deos Deasque* ad eorum placita perrecturus, qui, cum homines sint, *homines* molarum inventores prædicant. *Pausanias*, gravis certè Auctor, à *Myleta* quodam *Lelegis filio*, molas inventas, subdubitantes tamen, statuit, cum *l. 3. p. 200.* ita scribit: Καὶ ἀπ' αὐτῆς παρελθόντι, ὡς ἐπὶ τὸ Ταύγετον, ὀνομάζουσι Ἀλεσίαν χειρὸν, Μύληα τὸν Λέλεγος, πρῶτον ἀνθρώπων μύλην ἵε εὐρεῖν λέγουτες

καὶ ἐν ταῖς Ἀλεσίαις ταύταις ἀλίσαι ; ab eo Taygetum versus procedenti vicus est, Alesias nominant, quod est ac si moletrinas dicas. Eo in loco molam primum omnium reperisse & fruges molere docuisse Myleta, Lelegis filium, tradunt. A Pausania vel iis potius, ex quorum sententia ipse loquitur, dissentiunt, qui Athenienses molarum repertores vel ipsi ajunt, vel haberī saltim dicunt. In his Justinus est, qui lib. II. cap. 6. & Arnobius lib. VIII. p. 768. & seqq. Et hi procul dubio hanc opinionem ex Cicerone hauserunt in Oratione pro Flacco ita disserente : adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortae atque in omnes terras distributae putantur.

§. VI. Verum enimvero haec etiam nec explorata sunt satis nec pro exploratis prorsus venditantur. Unde cum in eis pedem figere non detur, ad sacras transeundum erit paginas. Ubi proximè forsan ad rei veritatem accedere credes, qui Adamum (omnium scientiarum oceanum) primum molarum inventorem haberi postulant. Ne enim, inquires, μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος videar, Biblia pro historico tantum libro haberi postulo. Atqui sic constat, Adamum agricolam fuisse, & rura si non jumentis, manu tamen sua exercuisse. Hoc autem si admittitur, ecquomodo negari queat, molendi fruges rationem ipsum quoque tenuisse? Eodem fortassis allegaveris quæ Lutheranæ Ecclesiæ lumen, academiae Lipsiensis desiderium, Lubecæ amor & delitium Dom. D. Pfeifferus in pansophia Mosaica ex Thalmudistarum & Rabbiorum scriptis eruditè affert. Nempe receptissimam penes hos sententiam esse, quod ab Adamo omnis ars adeoque & molendū dimanarit. Locus ex Beresch - Rabba Sect. XXIV. ita habet: Omnis generis opificia ad quotidianum humani generis usum necessaria primus homo calluit atque docuit. In Hakkabala autem ab initio hæc legere est : non est dubium, quin primus homo, utpote Divinarum manuum opus, doctissimus fuerit

C

non



non tam in naturalibus quam divinis scientiis. Et Aben-Esra
ad Gen. III. necessitas, ait, cum coëgit, ut araret, seminaret,
moleret & panes coqueret. At enim non nunc memorabo,
quod profanus fortassis homo ex Diodori Siculi l. 1. cap. 1. ob-
jecerit; veteres nimirum simplicissima victus ratione contentos
fuisse & plerosque tantum collectis herbis & campi sponte natis
fructibus pecorumque lacte latrantem sedasse stomachum, vel
ex Georgicis Virgilii l. 1. ita canentis:

ante jovem nulli subigebant arva coloni
nec signare quidem aut partiri limite campus
fas erat:

Enimvero sicut Poëta nimium quantum à janua aberrat: ita
Diodorus Siculus Mosi minimè æquiparari, nedum anteponi po-
test. Id potius, quò minus Adamum oceanum artium, earum
etiam, quæ commoditati vitæ serviunt, dicamus, obstare
videtur, quod in sudore vultus sui panem comedere jubetur.
Minus enim laboriosa & tædiosa ipsi extitisset vita, si à lapsu
omnes artes, eas quoque, quæ jucunditati vitæ prospiciunt,
calluisset. Quin sicut probabile est, Adamum manu potius
sua, quam bobus rara exercuisse; ita verosimile est, reliquas
etiam machinas laborem facilitantes inque his molas ipsum
ignorasse.

§. VII. Ergo (1) pilis & pistrinis vetustissimè usi
sunt homines. Certè si molæ statim repertæ fuissent, pistri-
na vel non innotuissent, vel saltem non obtinuissent, juxta
vulgatum verbum: desiderium boni minoris cessat obtento
bono majori. Rectè hinc genialium dierum scriptor l. b. III.
cap. XI. ita infit: Cum Veteribus molarum usus nullus foret,
fruges igne tostas in pilas coniectas, pinsere coacti sunt; id
enim molarum instar erat. Pistrina autem describente Jo.
Rosino in Antiq. Rom. p. 129, nomen habent à pinsendo, hoc est,
contur-

contundendo, quod ante inventum molarum usum frumenta in pila comminuerentur. Et pile erant vasa concava, in quibus antiqui fruges torrebant & siccatas pinsebant. Unde & factum credo, quod Josephus Scaliger nomen frugum $\alpha\beta\gamma\delta\epsilon\zeta\eta\theta$ τὸ $\phi\epsilon\upsilon\gamma\epsilon\upsilon$ à torrendo deduxit.

§. VIII. A pistrinis & pilis (2) inventæ sunt diuque obtinuerunt *mole manuarie* seu *trusatiles* & *versatiles*. *Abrahami* jam tempore eas extitisse, fortassis ex *Gen. XVIII. 6.* $\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\omega\varsigma$ collegeris. Ibi enim Patriarcha Saræ imperasse dicitur, ut tres modios farinae purissimæ aqua subigeret placentasque formaret. *LXX. Interpp.* farinam hujus loci $\sigma\epsilon\mu\iota\delta\acute{\alpha}\lambda\epsilon\alpha$ *semilaginem, florem farinae triticeæ*, appellant. Atqui vix apparere dixeris, quomodo solis pistillis flos farinae eliciri poterit. Utut autem hoc habeat, id tamen negari nequit, quod tempore exitus Isrælitarum *mole manuarie* obtinuerint. Enimverò *Exod. XI. 5.* Deus postremam plagam Ægypto minaturus hæc proloquitur:

מת כל בכור בארץ מצרים מכור פרעור
 היושב על כסאו עד בכור השפחה אשר את
 הרחיים וכל בכור בהמה :

omnis primogenitus Ægypti intermoriatur à primogenito Pharaonis usque ad primogenitum ancillæ, quæ est post molam. Lutherus ita transtulit: Alle Erstgeburt in Egyptenland soll sterben / von dem ersten Sohn Pharaon an / der auff seinem Stuhl sitzet / biß auff den ersten Sohn der Magd / die hinter der Mühlen ist. Ubi (1) extra controversiam ullam ponitur, per vocem רחיים intelligendum esse non *molen-dinum*, sed *molam*. Etenim Deus ibi filium ancillæ, quæ post molam est, opponit filio Pharaonis, tanquam infimæ sortis hominem summa profapia oriundo. Atqui hic sensus fieri ne-

quiret, si per מולדנא molendinum intelligi deberet. Quid enim esset ancilla a molendino? (2) clarum est de mola sermonem esse, non de pila tantum & pistrino. Evincit enim hoc ipsa vox מולדנא in textu reperiunda. Conf. quæ sup. cap. I. huc sunt allata (3) evidens est, molam manuariam, non jumentariam aut alatam ventis aquisve agitari solitam designari. Alias enim rursus quid esset ancilla à mola existens? (4) probabile est, hoc ævo jumentarias, alatas aliasque adhuc ignoratas fuisse. Id quod rectius persuadere, si locum Deut. æron. XXIV. 6. contuleris, ex quo quippe patebit, manuarum usum multo ab exitu ex Ægypto tempore adhuc viguisse. Verba Dei ibi hæc sunt:

לא יחמור רחייך ורכב כי נפש הוא חבל :

non pignoris loco catillum & metam accipies, quia animam ejusmodi homo oppignorat. Lutherus reddidit: Du sollt nicht zu Pfande nehmen den untersten und obersten Mühlstein / Dann er hat dir die Seele zu Pfande gesetzt. Alii ita amant transferre: non accipies in pignus utrumque molarem lapidem, imò ne superiorem quidem. Quæ verior sit sententia, critica observationes unà cum concordantiis satis docent. Nec prolixus ero in solvenda quæstione, quid per catillum & metam intelligatur. Obiter id saltem potius noto, quod mola anima pauperis hominis dicatur, quod maximè ad sustentationem vitæ sit necessaria atque adeò haud oppignoretur, nisi ubi nihil superest amplius: prout aliàs dicimus, animam deberi, cum nihil superest, quod nostrum sit pignorisque loco dari queat. Cæterum hinc constat, istis etiam annis, de quibus textus loquitur, versatiles tantum & rursatiles molas, non aliàs datas esse. Jumentaria enim & alata minus oppignorari possent: & si hæc datæ fuissent, ipsis potius, quàm aliis Israelitæ usi essent. Taceo, quod si alatæ datæ fuissent aut jumentariæ, mola dici nequivisset anima hominis. Etenim alias molæ majores

jores

jores adhuc suppetiissent, neque adeo manuarum necessariae fuissent. Consentit locus *Judic. XVI. v. 1.* extans, probabiliter saltem demonstrans, quod Judicum Israeliticorum tempore, praeter manuarum nullae cognitae fuerint aliae. Ibi namque Simson dicitur effosis ante oculos molam versasse. Quisque autem videt, non de alia quam trusatili sermonem esse. Cur enim alias effodi oculos Simsonis oportuisset. Hunc nempe finem Philistaei spectabant, ut in gyrum rectius ire miser posset, vertigine alias impediendus. Imo etiam ad tempora *Jesae* non molas jumentarias aut alatas, sed solas manuarum trusatiles & versatiles, non publicas, sed solas domesticas certo demonstrari posse, addisces, si loca *2. Sam. XI. 21.* & *Jesae XLVII. 2.* evolveris. Semper enim ibi portatilium molarum fit mentio, quae vix aliae quam manuarum esse potuerunt. *Zephanja* autem Prophetae aetate molas in molendina, domesticas & privatas molas in publicas conversas credes, si locum *cap. I. 11.* extantem respexeris, ubi nomine Dei Vates ita fatur: *plorate quotquot in molendino estis.* Atqui non apparet, quomodo Deus hominibus in molendinis existentibus haec imperare potuerit, si molendina nondum data, vel privata tantum molendina fuissent. Unde nec erraverim, si dixerim, hoc tempore molendi opus hominibus certis jam cessisse. Rursus, quo *LXX. Interpp.* vixerunt seculo molas jumentarias etiam datas esse, clarum est ex voce *μύλος ὀνικός*, quam semper adhibent, quoties molarem lapidem, *den Mühlstein* sunt designaturi. Cur enim lapidem molarem *ἀπὸ τοῦ ὄνου* ab *asino* dicerent, si ipsum tum temporis asini & jumenta loco mancipiorum non versassent. Conf. in *LXX. virali* versione loc. *Deuteron. XXIV. 6.* Quod si N. T. libros percurramus, eundem *Apostolorum* aetate molas jumentarias datas esse ex voce *μύλος ὀνικός Actor. XVIII. 21.* constat; aquarias autem aut alatas non item.

§ IX. Has etsi aliqui ante Augustum ad Tiberium

rim extractas fuisse ajant; à *Bellisario* tamen tempore *Justiniani* Româ à Gothis obsessâ, demum excogitatas esse, auctor est *Procopius* teste *Cælio Rhodigino* lect. *Antiq. lib. IX. cap. 16. in fine f. m. 411. edit. in fol.* dum scribit: *illud verò scire studiosos pervelim, molas Romæ paratas in Tiberi, ad janiculum fuisse antiquitus, uti auctor est Procopius, ad molendi usum, quia in angustum ibi primo aquarum ingens vis cogitur, ac per canallem mox in præceps acta violentius defertur ac ruit. Quo nomine videntur Romani Veteres collem janiculi muro circummisse, hostibus ad molas assultus ne pateret.*

§. X. Quando *alata* in usu esse cœperint, non constat satis. Idem dicendum de *specialissimis* molarum speciebus supra *cap. II.* descriptis. Earum enim omnium inventionem describere velle, opus est desperatum plurimique temporis aggredi. Quarundam ergo natales retulisse sat erit. *Plumbariarum* Eques Anglus, cui nomen est *Watson*, auctor est, teste *Chamberlainio* in *noticia Angliæ, p. 2. c. 42. f. 1157.* ubi hæc lego: *Eques Anglus Watsonius inventor molarum Angliæ plumbariarum fuit. Unde de consensu & approbatione Curie societas nata est operariorum plumbum ope mola tendentium & rarefacientium Papyracearum primam An. 1477. sub Ioanne, Nobili à Werdenau, Abbate L. Cœnobii Campidonensis* extractam esse, *Bruschius* in *Chronol. Monast.* annotavit. Reliqua genera nunc mitto. Restat ut de occasione inventionis molarum quædam addam. Hanc autem ignorari inde constat, quod prima molarum inventio non satis potuit detegi. Pro ficta & probabili tantum habeo, cuius *Seneca* *Epla XC.* mentionem facit. Labet verba ejus hic apponere. *Receptas, inquit, in os fruges concurrens inter se duritia dentium frangit, & quicquid excidit ad eosdem dentes lingua refertur: tunc verò saliva miscetur, ut facilius per fauces lubricas transeat. Cum pervenit in ventrem aqualiculi fervore concoquitur, tunc demum corpori accedit. Hoc aliquis secutus exemplar lapidem asperum aspero imposuit,*
ad

ad similitudinem dentium, quorum pars immobilis motum alteri
 exspectat; deinde utriusque attritu grana franguntur, & saepius
 regeruntur, donec ad minutias frequenter trita redigantur.
 Tunc farinam aqua sparsit, & assidua tractatione perdomuit, sin-
 xitque panem, quem primo cinis calidus & fervens testa percoxit,
 deinde furni paulatim reperti & alia genera, quorum fervor servi-
 ret arbitrio. Hæc ille.

CAPUT IV.

DE MOLARUM AFFECTIONIBUS ET ACCIDENTIBUS.

§. I.

Vidimus, dubium esse molæ primum inventorem: ambi-
 gi, ad quos species ipsius non una originem suam referat;
 vix unius alteriusve auctorem sciri. Sint autem quicumque
 sint, id profectò certissimum est, longè maximas grates eis
 deberi. Adeò utile rei molaris inventum est!

§. II. Patescet hoc uberius, si quæ supra retulimus mo-
 larum genera, memoria recoluerimus. Nil dicam de *domesti-
 cis & navalibus*. Quanta (1) utilitas in *militaribus* inest? Idem
 rectè affirmaverim (2) de *molis aquæ-baustoriis*, quarum præ-
 grandem usum cum *Sinensibus Belgæ* in depellendis agro aquis
 experti sunt. Elogio dignissima est (3) *mola Ianekii Turria-
 ni*, opus quidem molis exigua; magnam tamen farinae vim
 quotidie fundens. *Philosophicam* (4) Chymici optime col-
 laudaverint. Et quid (5) de *frumentariis* dicam? Conferas
 velim antiquioris ævi, pistrina tantum noscentis, rædia cum
 nostro.

nostrorum temporum commoditatibus ; compares versatiles
& trusatiles cum nostris aquariis & alatis. Ita enim consta-
bit rem molarem extolli satis haut posse. Adde his (6) poli-
litorias, abs quibus esset, perspicillis, microscopiis, tubis opti-
cis, aliisque instrumentis cum maximo nostro damno carerem⁹.
Quis enim ignorat, quot quantaque phænomena in astrono-
mia, physica, medicina hæc nos docuerint? *Aromaticarum* (7)
utilitas verbis dignè satis enarrari nequit. Justè fortassis vi-
tuperaris, quæ (8) *pulveris nitrati præparationem juvant*, quod
Martem ferocire faciant ; at contra (9) *plumbariæ* eò majo-
ri bono serviunt, aliàs enim peculiarem societatem haud pepe-
rissent. Denique (10) solæ *papyraceæ*, ut reliquas omittam,
tantæ commoditatis causa nobis existunt, ut nil supra : quan-
quam dolendum id sit, quod abusus cum usu papyri hodiè
propemodum certet.

§. III. Hanc tantam utilitatem dum cogito, me-
ritò subit admirari, cur *molitorum* contemptum adeò & vile
genus vitæ habeatur, ut ab opificibus etiam dubitatum sit,
annon molitoribus infamiæ maculam inuri oporteat? Eodem
pertinet, quod in Bibliis *filius ancillæ, quæ est à molendino*, pri-
mogenito Regis, tanquam homo imæ sortis homini summo,
opponitur. Causam conjiciunt aliqui in frequentia molito-
rum furta. Lepida sunt, quæ hinc inde apud auctores legas
in molitores allatâ de causa durius paulò dicta. Sic à
Reinbardo quodam Lorichio Hadamario lib. 2. enigmat. con-
cinnati versiculi lepidissimi hi sunt:

*in mola miror, cur nulla ciconia nidos
exstruat : an metuit, molitor ne subtrahat ova,
surripiatque suos, ut fur est undique, fœtus?*

Et iterum

*Est aliud prudens bene quod natura paravit,
nil molitori æquè suspicor esse bonum:*

ipsius

*ipsius totum namque hoc defendit honorem,
 Et servat famam, quæ peritura foret.
 quod saccis hominum non est concessa loquela:
 hinc nequeunt dominum prodere voce sua.
 Indicio illorum fieret manifesta rapina,
 quam furtim nunc Et dissimulanter agunt.*

At mea opinione errant, qui à furtis molitorum causam, cur audiant malè, arcessunt. Cur enim alii opifices idem fatum non experiuntur, qui tamen non minus artificiosè furari didicerunt? Genuinam historicam rationem hanc crediderim, quod olim in pistrinum & molendinum mancipia maximè dabantur, brutis æquiparari solita. *Plautum profecto asinum*, dictum fuisse, superius annotavi. Quanquam enim nostris moribus alia omnia obtineant; semper tamen aliquid hære, & pristinae consuetudinis in successoribus relinqui, noto est notius.

§. IV. Hoc non obstante ex historia certum est, aliquos ad risum usque rem molarem æstimasse. Enimvero *coronare etiam molas Et jumenta* non sunt veriti. Testem lepidi hujus facti produco ex *Ovidio Gen. dierum scriptorem*, cujus verba *lib. III. cap. XII. p. 707.* sunt sequentia: *mense Junii mola frumentaria Et asini sertis Et pane coronantur*, uti testatur *Ovidius lib. VI. Fast.* canens:

*ecce coronatis panis dependet asellis
 Et velant scabras florida sertis molas.*

Idem molæ apud *Judeos* pretium evincunt omnia *Scripturae loca* in quibus *silentium mola uat' ἐξοχήν* miseriam ingentem designat, ut *Zephan. I. II. Apoc. XII. 22. Jerem. XXV. 10.*

§. V. Plura non addo, finiens hanc opellam in *rarum* quoddam molæ *accidens*, superiori seculo in *molis Genevensibus*

D

aqua-

aquariis notatum, quæ magnæ civium admirationi tum retroar-
gebantur. Refert ipsum, ratione simul indicata, auctor *Der a-
bentheuer der natur und künstl. Sachen in Sina und Europa* se-
quentibus verbis: *diffugientibus nivibus quandoq; videas angu-
si alvei fluvium Arva aded impregnari, ut, quæ Rhodano misce-
tur, impetum hujus sistat, eumq; lacum Genevensem reperere faci-
at. Contigit hoc multa omnium admirationi anno 1572. quo tem-
pore omnes mola Genevenses contrarium ordinario motum per a-
liquot horas tenuerunt. Jungere huic possem alia similia (quan-
quam à diversa causa pendentia) phænomena; quod e. g.
mola alata aliquando adversus ventum circummagi-*

comperimus. Ast hîc

esto

FINIS.


Dic mihi, MÜHLBERGERE, molam cur con-
struis hancce?

à celso quod fers nomina MONTE MOLAE?

an, quod lappideam sit construxisse minoris
artis opus? Causam laudo, sit, utra fiet.

Ita Politissimo Dno. AUCTORI
gratulatus scribo:

JOH. ANDR. DANZ, Sacr.
reliquarumq; Orient. Ling. P. P.



CLARISSIMO VIRO-JUVENI,
DOM. JOANNI TOBIAE
MÜHLBERGERO,

S. Theol. Cultori,

Amico sincerrimo,

S. P. D.

PRÆSES.



*Emper Ratispona Tua indo-
lis egregia mentiumq; bona-
rū ferax fuit. Non repetam
antiquiora tempora; quia
Wildios, Gölgelios, Haber-
linos meminisse, satis est; quorum ami-
citiā dum cogito, dici non potest, quā
afficiar suaviter. Pulchra ipsorum, Ami-
ce optime, vestigia dum legis, facis profe-
ctō quam rectissimē. Etiam si enim aliud
diligentia virtutisque incitamentum nul-
lum haberes; hoc tamen unum satis ma-
gnū potensq; esset quod Ratispona educatum
Te*

Q177366

Te nosti. Accedit plurimum reverendi
Dom. Parentis Tui senium venerabile, quod
ne juventutem per otium perdas, efficacissime
monet postulatque. Taceo illustris Reipu-
blica adversus Te bonitatem, per quam Tibi
non nisi solerti esse licet. Quem mihi spe-
ctandum obtulisti fœtum, verè spectavi tan-
tùm; non formavi. Mos namque Dom.
Parenti Tuo gerundus erat; cui Tuum, non
meum, videre volupe est. Utinam Ipsi, imò
non Ipsi tantùm, sed & Patronis Tuis pla-
ceat. Scrib. in Acad. Jenensi Kal.
Jan. A. M. DC. XCV.



Q. N. 363, 4.




M. JO

M

FAC

DIS



Kodak

LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

II t
366
STORICAM
IS
REUNERO,
ADJUNCTO,
Mühlberger
DC XCV.
RIANÆ.

